



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepiscopo Neopatremsi & Episcopo Davaliensi, & Nazorescensi electo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

tis, ipsum ad hoc, si necesse fuerit, per censuram canonicam, sicut iustum fuerit, sublato appellationis obstaculo compellentes. Quod si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani xv. Nonas Octobris, anno tertio decimo.

ARCHIEPISCOPO NEOPATRENSI
& Episcopo Davaliensi, & Nazorensi
electo.

Epist. 154.
Pro iisdem.

EXposita nobis dilectorum filiorum fratrum militiae Templi petitio continebat quod nobilis vir Ni. de sancto Amero diocesis Thebanæ su. er quibusdam terris à Rolandino & Albertino fratre ipsius in elemosynam concessis eisdem ipsos contra iustitiam aggravat & molestat. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatinus dictum nobilem ut ab ipsorum fratrum super eisdem terris indebita molestatione desistat, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Testes autem qui nominati fuerint, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, per censuram eandem appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani xii. Kal. Octob. anno tertio decimo.

CARDICENSI ET DAVALIENSI
Episcopis, & electo Zaratoriensis.

* Infrà lib. 14.
epist. 111. dicitur,
Nazorensis.

Epist. 151.
De causa Templariorum cum Archiepiscopo Patracensi.

UM olim causam quæ inter dilectos filios fratres militiae Templi ac venerabilem fratrem nostrum Patracensem Archiepiscopum vertebatur super domo de Geracomita & rebus mobilibus ad valentiam duorum millium & sexcentorum decem octo hyperperorum, quibus dicti fratres per eundem se querebantur Archiepiscopum contra iustitiam spoliatos, venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Atheniensi & Fermopileni Episcopo duxerimus committendam, iidem reputantes Archiepiscopum contumacem, memoratos fratres in ipsius domus possessionem causa rei servandæ inducendos sententialiter decreverunt. Licet autem prædicti fratres nuper in nostra præsentia super præmissis cum eodem Archiepiscopo litigantes, & proponentes se, ipso mandato iudicum renitente, corporalem ipsius domus possessionem apprehendere nequivissent, petierint auctoritate nostra in eandem induci, quia tamen idem Archiepiscopus standi juri sufficientem exposuit cautionem, petitionem fratrum in hoc nullatenus admittentes, de ipsius Archiepiscopi

& alterius partis procuratoris assensu per apostolica vobis scripta mandamus quatenus si dicti fratres domo & rebus aliis supradictis se probaverint contra iustitiam spoliatos, vos eisdem, sicut iustum fuerit, restitutos, audiatis si quid fuerit quæstionis, & illud appellatione remota sine debito decidatis, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem &c. usque appellatione remota cogatis veritati testimonium perhibere. Nullis litteris obstantibus præter assensum partium à sede apostolica impetratis. Quod si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum Laterani v. i. Kalend. Novembris, pontificatus nostri anno tertio decimo.

E I S D E M.

UM inter venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Patracensem & dilectos filios fratres militiae Templi super abbacia quæ Provata vocatur, de qua per dilectum filium electum Montanensem & Archidiaconum Andreவில் delegatos à nobis jam quædam fuerat contra ipsos Templarios sententia promulgata, sub examine nostro controversia verteretur, auditis & intellectis quæ propolita hinc inde fuerant, sententialiter duximus decernendum ut idem Archiepiscopus possessionem ipsius obtineat abbatiæ, reservata prædictis fratribus facultate probandi, sicut dicebant, eam sibi à domino terræ, accedente postmodum consensu Archiepiscopi, concessam fuisse. Quocirca discretionem vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus dictam abbatiæ facientes ab Archiepiscopo ipso pacificè possideri, probationes fratrum admittite procuretis. Quod si legitime præscripta probaverint, eundem Archiepiscopum distractione qua convenit, appellatione remota, cogatis abbatiæ ipsam cum fructibus medio tempore perceptis ex ea fratribus restituere memoratis, in pace perpetuè possidendam. Quod si præfatus Archiepiscopus infra mensem post susceptionem præsentium per se vel responsalem idoneum propter hoc coram vobis non curaverit comparere, vos nihilominus, sublato cujuscunque contradictionis & appellationis obstaculo, procedatis, cum lis jam fuerit contestata, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita, compescendo. Quod si non omnes &c. duo vestrum ea &c. Datum ut in alia per totum.